

# CASUS

## DE COOPERATIONE IN DAMNUM PROXIMI

### SCILICET

*De mandante, consulente, consentiente, recursum præbente, participante, et de cooperatoribus negativis.*

#### CASUS I.

##### MANDANS 1°.

CASTOR imperavit FESTO, famulo suo, ut quamdam pecuniæ summam determinatam apud JACOBUM subriperet. Famulus autem summam majorem accepit, et excessum sibimetipsi retinuit.

Alias, vindicta motus, mandavit CAIO, alteri famulo, ut arbusculas in prædio PAULI cæderet. Pergit CAIUS ad mandatam heri exsequendum; sed ex errore vastavit prædium JOANNIS, qui vicinus erat.

HINC :

QUÆR. 1° *Ad quid teneatur mandans damnum?*

2° *An CASTOR teneatur ad aliquid pro excessu furti a famulo commissi, in primo casu?*

3° *An teneatur damnum ex errore mandatarii patratum reparare, in secundo casu?*

SOLUTIO :

657. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Mandans, 1° tenetur reparare omne damnus ex vi mandati illatum, quia est causa illius moralis; 2° tenetur etiam reparare damna quæ mandatario eveniunt, si ea aliquo modo præviderit, quia jubendo censetur suscipere in se omnem obligationem mandatarium indemnem faciendi.

658. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* CASTOR ad nihil tenetur in primo casu pro excessu furti a famulo commissi, quia excessus ille non fluit ex efficacia mandati, sed ex sola mandatarii voluntate. Excipe tamen, nisi prævidisset famulum probabiliter excessurum esse in mandati executione, quia tunc, hujusmodi hominem adhibendo ut mandatarium, censetur in se suscipere onus damna prævisa reparandi. *Lacroix. — Billuart, etc.*

659. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Nego;* quia damnus in hoc casu soli errori mandatarii tantum tribuendum est, non vero ipsi mandanti: error enim est solius executoris, qui proinde solus ad restitutionem tenetur. *Vogler, n. 279, etc.*

#### CASUS II.

##### MANDANS 2°.

1° LINUS mandavit fieri damnus PETRO; sed, mutata voluntate, mandatam revocavit per litteras, quæ tempestive non advenerunt. Alias, in casu simili, cum mandatario notam fecisset mandati revocationem, hic qui antea de damno nullatenus cogitaverat, a dæmone impulsus, damnus nihilominus intulit.

2° LEO mandavit TITIO, ut fructus quosdam prædii BALDUINI nocte surriperet; sed infelix mandatarius, a famulis proprietarii deprehensus, male tractatus, et propria pecunia spoliatus, magno labore fugam arripuerat, cum in altam foveam decidit, brachiumque sibi fregit.

HINC :

QUÆR. 1° *An LINUS teneatur ad damnus patratum reparandum post mandati revocationem, in primo casu?*

2° *An LEO teneatur ad damna quæ TITIO acciderunt reparanda, in secundo casu?*

SOLUTIO :

660. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* LINUS tenetur reparare damnus PETRO illatum, non obstante revocatione mandati; quia, cum revocatio ad mandatarium non pervenerit, damnificatio ex vi mandati subsecuta est. Non tenetur vero resarcire damnus quod in alio casu mandatarius intulit, postquam mandati revocationem novisset, quia tunc mandatarius propria malitia impulsus egit.

661. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* LEO in 2° casu tenetur de damnis quæ TITIO passus est ex parte famulorum BALDUINI, in læsione corporis, quia hæc damna facile in confuso prævidere potuit. Sed minime tenetur, compensare alia damna quæ subiit idem TITIO, sive amittendo propriam pecuniam qua spoliatus est, sive in foveam decidendo et brachium sibi frangendo, quia hæc prævideri non potuerunt. *V. Comp. n. 673 et seq.*

#### CASUS III.

##### CONSULENS 1°.

RICULFUS LUCIO consilium dedit, iteravitque, JULIANUM occidendi. Verum mox, hujus horrendi consilii pœnitens, illud revocavit, LUCIUM adhortans, et per quæque sanctiora adjurans, ut ab hujusmodi crimine absteret. Sed surdo canit ille: nam LUCIUS, qui, licet JULIANUM odio haberet, minime tamen de eo occidendo cogitaverat, in proposito homicidii patrando obstinatus permansit. Tunc RICULFUS PAULUM sibi valde familiarem rogavit et obsecratus est, ut JULIANUM quantocius de sibi imminente periculo monitum faceret, quo vitæ suæ prospiceret. Promisit ille se absque mora ad illud officium exsequendum advolaturum esse. Ast familiaris ille promissa nullatenus est executus: non enim ex animo, sed fide tantum id sponderat. Itaque JULIANUS a LUCIO appetitus occubuit.

HINC :

QUÆR. 1° *Ad quid teneatur damnum consulens?*

2° *An RICULFUS, non obstante consilii revocatione, teneatur damna ex JULIANI morte subsequuta reparare?*

3° *An PAULUS non solum contra caritatem, sed etiam contra justitiam peccaverit, ita ut damna quoque reparare teneatur, ex eo quod JULIANUM de periculo ipsi imminente præmonere omiserit?*

SOLUTIO :

662. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* 1° *Consulens* tenetur ad reparandum omne damnum in quod efficaciter pravo consilio influxit, quia illius damni fuit causa moralis. 2° Si bona fide dedit damnosum consilium, tenetur, cognita veritate, illud retrahere ex justitia; secus ipsi formaliter imputatur. 3° *Consulens* non tenetur ad restitutionem, nisi secundo loco, si consilium soli executori utile fuerit. Si utrique fuerit utile, uterque *pro rata* tenetur. *S. Lig. n. 560.*

663. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* 1° *Ad nihil prorsus* tenetur RICULFUS, si consilium ejus fuerit *simplex*, quia efficaciter ex ejus parte revocatum fuit. Si vero fuerit *vestitum*, adhuc *probabiliter* ab onere restituendi eximendus est, si motiva nova suggessit, prioribus æquivalentia, quia priora tunc sufficienter eliduntur. Sed, ais, si quis ignem in segetes projiciat, quomodo illum exstinguet? — *R. Nego paritatem*; ignis enim *physice* et *necessario* operatur simul ac excitatus fuerit: secus vero est de homine, qui potest acquiescere novo consilio, sicut priori acquievit. Quod si nolit, id ejus malitiæ imputari debet. *S. Lig.* dicit esse *probabilior* sententiam quæ obligat ad restitutionem, non obstante revocatione, si consilium fuit *vestitum*; attamen sententiam excusantem *probabilem* vocat.

664. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* PAULUS qui promissis non stetit, de damnis loco homicidæ tenetur, quia, licet ex caritate tantum onus monendi JULIANUM suscepit, quando tamen promisit, ad id ratione justitiæ obligatur; quia, si non promisisset, RICULFUS alia remedia adhibuisset ad homicidium JULIANI impediendum. Quare, licet RICULFUS jus non habeat tale onus amico imponendi, jus tamen habet ne mendacio et dolo ab aliis mediis adhibendis impediatur.

*Objicies*: PAULUS non potest plus obligari quam RICULFUS, cujus obligationem in se suscepit; atqui RICULFUS, ex sola caritate tenebatur ad JULIANUM præmonendum, siquidem oneri justitiæ per debitam consilii revocationem jam satisfecerat: ergo PAULUS ex sola caritate ad monitionem faciendam tenebatur.

*R.* 1° Non desunt Theologi qui dicerent RICULFUM adhuc obligatione justitiæ urgeri, quia facere debet id omne quod facile præstare potest ad impediendam pravi consilii efficaciam. Attamen, cum serio et enixe consilium suum revocaverit, sola ratione caritatis obstrictus videtur.

*R.* 2° Licet RICULFUS debito suo justitiæ satisfecerit, et sola caritate obstrictus remaneat erga JULIANUM, non idem de PAULO dicendum est.

Ratio est, quia negotium ipsi commissum instar mandati se habet; mandatum autem libere et voluntarie acceptum, mandatarium ratione justitiæ obstringit, quamvis titulo mere gratuito suscipiatur. Præterea, JULIANUS jus strictum habebat ne a quopiam dolose impediatur et removeretur auxilium in extrema necessitate sibi præstandum; atqui jus illud fraudulenter violatum fuit a PAULO, qui RICULFUM impedit, per mendacium, seu fictam promissionem, ne JULIANO, in summo periculo versanti, succurreret: ergo PAULUS graviter in JULIANUM peccavit, non solum contra caritatem, sed etiam contra justitiam.

#### CASUS IV.

##### CONSULENS 2°.

1° RIFAX officinam BASILII apertam, absente domino, cernens: « En, ait LUCIO, si nunc aliquid de mercibus BASILII eriperes, nullus te videret. » Quo audito, LUCIUS plura statim surripuit.

2° MARCIANUS ait PATERNO: « Vellem equum MAURI hac nocte furari, sed timore canum detineor; — Suadeo tibi, ait PATERNUS, ut potius tempore Missæ illum accipias: tunc enim etiam canes aberunt. » Quo audito, MARCIANUS tempore Missæ stabulum MAURI ingreditur, ejus equum solvit et rapit.

HINC :

QUÆR. 1° *An RIFAX, LUCIO non restituente, ejus loco restituere debeat, in primo casu?*

2° *An PATERNUS, in secundo casu, loco MARCIANI, equi furtivi valorem restituere teneatur?*

SOLUTIO :

665. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Nego probabilius.* RIFAX ad nihil videtur teneri, quia fuit tantum occasio, non vero causa damni. Etenim neque mandatum, neque consilium dedit; nec potest explicari cujus generis influxum habuerit: rem enim tantum declaravit, sed socium ad furandum minime induxit. Ergo efficaciter in damnum non influxit. *Ita auctor casuum Bononiæ editorum, V. Restitutio, cas. 40, contra Collet adnotatorem, qui contendit esse consilium vere efficax.*

666. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Affirm.* PATERNUS ad restitutionem tenetur defectu MARCIANI, qui causa fuit qua MARCIANUS tempore Missæ securius equum furatus fuerit. Etenim alio tempore facile potuisset difficultate deterreri et impedi. *Ita idem auctor Bononiensis, Ibid. cas. 43.*

*Objicies*: Juxta *S. Lig. n. 563*, et graves alios auctores, *probabiliter* ad restitutionem non tenetur ille qui tempus tantum, vel modum, suadet furi ad damnum determinato. Ergo, etc.

*R.* Hoc equidem *per se* admittendum est; quia *communiter* circumstantia temporis, vel modi, se habet mere *per accidens*, neque in tali consilio certus apparet influxus in damnum. Verum in nostro casu hujusmodi circumstantia non est tantum quid *accidentale*, sed vere in ipsam substantiam redundat, seu *per se* in damnum influit. — Insuper, ut patet

ex casu, fur non erat certo determinatus ad equum surripiendum, siquidem timore canum adhuc cohibebatur.

## CASUS V.

## CONSENTIENS 1°.

1° PHILETUS, de jure quodam, RUFO possessori movet litem. Judices, numero quinque, PHILETI muneribus inducti, contra æquitatis leges ipsi jus tribuerunt. Duo autem judices, qui posteriori loco suffragium dedere, se nulla restitutionis obligatione ligari contendunt, quia, aiunt, licet in damnum consenserint, in illud tamen nullo modo influxerunt.

2° FESTUS, judex, cum sciret plerosque alios judices sententiam injustam in PAULUM esse prolaturus, nolens neque ipsis connivere, neque displicere, dum cæteri ad tribunal se conferrent, ipse lectum petiit, se ægrotum fingens: sic utrumque vitavit scopulum.

HINC:

QUER. 1° *Ad quid teneatur consentiens in damnum?*

2° *An prædicti judices ad restitutionem teneantur?*

SOLUTIO:

667. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* *Consentiens* in damnum proximi ad restitutionem tenetur quoties consensu suo, vel suffragio influit efficaciter in damnum alterius; secus vero, si consensus in damnum non influat. *V. Comp. n. 681.*

668. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* *In primo casu*, duo ultimi judices, sicut alii, peccarunt graviter contra justitiam, et ad restitutionem *in solidum* tenentur, si votis secretis suffragati fuerint; quia tunc est una actio injusta inter omnes, nec distinguuntur priores a posterioribus. Si vero publice, seu aperte voverunt, *probabiliter* excusandi sunt ab injustitia *effectiva* et *efficaci*, quia non videntur esse causa damni, cum jam illud sufficienter ab aliis præparatum ac determinatum fuerit. *S. Lig. n. 566. — V. Comp. n. 682.*

669. — *In secundo casu*, FESTUS non adeo certe vitavit utrumque scopulum. Potuit enim, etiam absens, et in lecto jacens, peccare mortaliter. Hinc distinguendum est. Vel enim FESTUS potuit per justum suffragium a PAULO damnum avertere, vel non: *si prius*, a suffragio præstando abstinere non potuit quin contra justitiam ageret, nisi esset judex ad honorem tantum, nec stricto onere intervenire deberet, in quo casu contra caritatem tantum delinqueret; si vero *posterius*, ab omni labe injustitiæ immunis erit, cum certo sciret se, voto suo aliis apposito, damnum non impediturum esse. *V. Comp. n. 683.*

## CASUS VI.

## CONSENTIENS 2°.

SYLVIA, MARINI uxor approbat maritum qui sæpe miscet frumentum deterius cum meliori, ita ut prius non appareat, illudque ut speciei melio-

ris vendit. Imo, quandoque in mixtione facienda eum adjuvat. Eadem SYLVIA pluries filiorum furta ratihabuit.

HINC:

QUER. 1° *An SYLVIA particeps fuerit injustitiæ mariti?*

2° *An censeatur cooperari injustitiis filiorum?*

SOLUTIO:

670. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* 1° SYLVIA non videtur injustitiæ mariti particeps fieri, ejus iniquitatem tantum approbando seu ratihabendo, modo ipsi animum ad similiter faciendum in posterum non dederit. 2° Non potest ab injustitia excusari quando fraudi mariti positive cooperata est, eum ad injustam mixtionem faciendam adjuvando.

671. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* SYLVIA, ratihabendo furta filiorum, graviter peccavit contra justitiam, si ita animum vel audaciam eis addiderit ad alia furta patranda. Secus vero, si in casu particulari, quod a filiis injuste gestum est, ratihabuerit. *V. Comp. n. 682 et 692. — S. Lig. n. 566.*

## CASUS VII.

## RECURSUM PRÆBENS 1°.

ROBERTUS, caupo, in solitario loco, aliquos hospites jam pridem de furtis hinc inde commissis suspectos, hospitio excepit, eisdemque non tantum potum ministravit, sed etiam carnes ab ipsis allatas, probabiliter furtivas, præparavit. Exoptavit quidem corde et animo, ut hujusmodi hospites adeo invisum nunquam amplius ad suam tabernam diverterent; nihilominus timore, ne forte domum suam comburerent, vel aliud grave damnum sibi inferrent, ingressum denegare non ausus est. Imo nuper eos, a ministris justitiæ conquisitos, in domo sua abscondit et occultavit.

HINC:

QUER. 1° *Ad quid tenentur recursum furibus præbens?*

2° *An ROBERTUS, caupo peccaverit contra justitiam, fures in tabernam recipiendo, et supradictas carnes coquendo et ipsis ministrando?*

3° *An, vel quomodo peccaverit fures abscondendo?*

SOLUTIO:

672. *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Recursum præbens, seu *receptans*, qui *scienter* furi præbet assecurationem, tenetur damna inde provenientia reparare, quia voluntatem furis firmiorem efficit ad nova furta inferenda, vel etiam ad retinenda ea quæ rapuit.

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* ROBERTUS non peccavit, nec proinde ad restitutionem tenetur, eo quod fures receperit, et eorum carnes præparaverit, et ipsis ministraverit. Ratio est, quia tam receptio in hospitium, quam carniarum præparatio, est actus de se indifferens; porro, qui actionem de se indifferentem ponit, necessitate gravi compulsus, seu ad grave damnum vitandum, non peccat: ergo neque caupo noster in hypothesi peccavit, cum, gravissimi damni a se avertendi gratia, fures in hospitium admiserit.

673. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Distinguendum est. Si revera ROBERTUS fures occultaverit timore mali gravissimi, a peccato etiam excusandus est, quia, eos occultando ex dicto motivo, non intendit ipsis favere, neque eorum damno cooperari. Imo, nec peccaret contra justitiam qui in aliquo casu particulari furem occultaret ne a ministris justitiæ caperetur, si id faceret ex commiseratione, ut eum a maximo periculo eriperet, nec timendum esset ne postea alia furta patraret. Sed generatim non valent præfatæ rationes. Etenim non valet plerumque timor damni subeundi, quia, si prodantur malefactores, nihil aut parum ex ipsis timendum erit. Neque sæpius valet ratio fures e periculo ex commiseratione eripiendi, sub prætextu quod non sint amplius aliis nocituri, quia perversi homines, furtis et deprædationibus assueti, raro ad meliorem frugem sese recipiunt. *Elbel, n. 138. — Lugo. — Tamburinus, etc.*

## CASUS VIII.

RECURSUM PRÆBENS 2<sup>o</sup>.

SAMUEL, caupo, absque difficultate, imo libentissime et frequenter, in hospitium suum admittit filiosfamilias, quos novit consumere bona parentibus invitatis subtracta. Alios etiam filios quoscumque recipit, qui pecunia caret ad expensas quas faciunt solvendas, ita ut debita, a parentibus postea exstinguenda, cumulentur.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quid censendum sit de SAMUELE, et aliis similibus bene multis?*

2<sup>o</sup> *An debita præfata filiorum parentesolvere teneantur?*

3<sup>o</sup> *Quid dicendum sit de aliis quibuscumque, qui clam recipiunt et custodiunt res furtivas uxorum, filiorum, hæredum, vel illorum qui cessionem bonorum facere coguntur?*

SOLUTIO :

674. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Damnandus omnino est SAMUEL et cum eo damnandi sunt turmatim innumeri alii caupones, qui dilapidationibus filiorumfamilias connivent. Pessime enim agunt, et contra justitiam peccant, damnis filiorumfamilias efficaciter cooperando. Etenim prædicti filii-familias a gravi injustitia in genitores immunes esse nequeunt; sed illi caupones a quibus recipiuntur, eorum direptionum sunt vere participes: ergo, id omittentibus filiis, ad damnorum reparationem tenentur.

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Neg.*, si parentes inviti fuerint, quia filii absque eorum consensu hæc debita contraxerunt. Ergo in foro interno ad nihil prorsus tenentur, et proinde, nisi sententia judicis urgeantur, possunt tuta conscientia solutionem denegare. Sibi imputare debent caupones, quod detrimentum illud subeant. *Recole dicta supra, n. 586.*

675. *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Generatim loquendo, peccant contra justitiam et ad restitutionem tenentur illi qui recipiunt et occultant res furtivas uxorum,

filiorumfamilias, hæredum, vel illorum qui cessionem bonorum facere coguntur. Ratio est, quia vere furtis eorum cooperantur. Attamen exceptio quandoque, licet raro, admittenda foret: v. g. si misera materfamilias, quæ maritum bibulum et omnia bona dilapidantem sortita est, aliquid seponeret, vel occultaret ad filios in necessitate sublevandos, non illicitum foret recursum illi præbere. *V. Comp. n. 685.*

## CASUS IX.

PARTICIPANS 1<sup>o</sup>.

ROGERIUS, famulus CREPINII, domi solus custos, a latronibus invaditur: metu mortis adigitur ad patefaciendam domini arcam pecuniariam, ad res furtivas cum ipsis asportandas, et ad scalam eisdem tradendam, qua vicinam domum ingredi possint. Ad omnia obsequitur ROGERIUS, ut vitam incolumem servet.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Ad quid teneatur participans in damno aliis inferendo, ratione restitutionis?*

2<sup>o</sup> *An ROGERIUS ad restitutionem teneatur propter cooperationem mediatam, seu scalam furibus tradendo?*

3<sup>o</sup> *An teneatur restituere propter cooperationem immediatam, seu arcam pecuniariam domini ostendendo, et res domus cum furibus asportando?*

SOLUTIO :

676. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> *Participans* in præda tenetur ad restitutionem partis quam accepit, ut patet. 2<sup>o</sup> *Participans* in actione damnosa pariter ad restitutionem adstringitur, quoties actio illius reapse in damni substantiam influxit. 3<sup>o</sup> *Participans* in actione damnosa aliquando a labe injustitiæ erit immunis, si adsint debitæ conditiones, scilicet actus positus non sit intrinsece malus, et ponatur ex causa relative gravi. *V. Comp. n. 686.*

677. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Neg.* Ratio est, quia in eo casu non fuit illicita cooperatio mediata. Licet enim cooperari mediate actioni injustæ alterius, quando actio cooperantis est de se indifferens, finis ejus bonus, et adest causa valde gravis, seu damno proximi proportionata, ut sequitur ex dictis supra *de actibus humanis, n. 7. et seq., et de virtutibus, n. 241.* Porro illæ conditiones in præsentis casu scalæ commodatæ habentur: etenim dare scalam est quid per se mere indifferens: adest quoque gravissima causa id faciendi, nempe ad mortem vitandam. Insuper ROGERIUS minime intendit malum, sed bonum, scilicet vitam a summo periculo subtrahere: ergo non injuste egit. Ergo ab onere restitutionis sub illo respectu liberari debet. *V. Comp. tom. I, n. 9, 248, 688.*

678. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ. Controvertitur.* ROGERIUS probabiliter excusandus est ab obligatione restitutionis, quia homo constitutus in extrema necessitate surripere potest, ut mortem declinet, quia in tali casu omnia bona sunt communia. Ergo a pari ille qui metu mortis adigitur ad coope-

randum proxime, vel etiam immediate, subreptioni honorum proximi, non peccat neque contra caritatem, neque contra justitiam. *S. Lig. n. 571.* Negant tamen multi, si agatur de furto in materia valde gravi, contra dominum, quia hic in hujusmodi cooperationem consentire non tenetur. *V. Comp. n. 687.*

## CASUS X.

## PARTICIPANS 2°.

TITULUS, puerulus triennis, graviter ægrotabat cum TITIO patre. Prior e vita cessit filius; tribus post horis subsecutus est genitor. Uterque in tumulo eodem consepultus fuit. Ast subinde MŒVIA mater, adhibitis quatuor falsis testibus, asserit maritum ante filium vitæ valedixisse, et consequenter se filii hæredem esse. SILVERIUS causidicus primum, bona fide, causam MŒVLÆ tuetur. Detecta autem rei veritate pergit in causa dicenda, innitendo in testium depositione: *Videte, judices, ait, cum unanimes testes sint, qualis sententia sit a vobis ferenda.*

HINC :

QUÆR. 1° *Quid de MŒVIA et testibus dicendum?*

2° *Quid de SILVERIO?*

SOLUTIO :

679. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* Omnino damnanda est MŒVIA, et primario quidem ad restitutionem hæreditatis erga hæredes mariti sui, quia minime fuit hæres filii sui, quippe qui ante patrem vitæ valedixit. Testes vero, cum scienter iniquitati MŒVLÆ sint cooperati, et causam efficacem damni per falsum testimonium posuerint, secundo tenentur. *V. Comp. n. 686.*

680. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Quid vero de SILVERIO causidico? Male egit, et peccavit contra justitiam erga hæredes TITI defuncti. Etenim, juxta sententiam communem Doctorum, causidicus qui advertit causam quam tuetur esse injustam, eam deserere debet, licet jam fuerit incepta, quia secus injustitiæ patrocinator. Nec obstat quod SILVERIUS in fine causæ dicendæ se negative tantum habuerit, innitendo tantum in testium depositione; quia motiva quæ prius proposuit pergunt in mentem judicum influere. Insuper neque ipsi licuit invocare testium depositionem, cum sciret falsum esse eorum testimonium. *Elbel, de Statibus, n. 765.*

## CASUS XI.

## COOPERATIO NEGATIVA 1°.

1° BALDUS, paterfamilias, modo ex gravi negligentia, seu videns et tacens, modo ex aliqua incuria, non impedivit damna vicinis, sive ab uxore, sive a filiis vel famulis illata, quamvis ea impedire facile potuisset. Requirentibus autem damnorum reparationem, frigide respondet: se nemini nocuisse. — Cum ejusdem filiolus vas aliquod pretiosum CAPRASHI fregisset, hunc pretium requirentem furca domo expulit.

2° SABELLUS TITYRO pastori gregem custodiendum commiserat. Cum autem TITYRUS semel obdormivisset, et alia vice a sociis nugantibus ad arborem invitatus alligatus fuisset, grex HILARII agrum in utroque casu vastavit. HILARIUS vero damni reparationem a SABELLO requirit.

HINC :

QUÆR. 1° *Ad quid teneantur cooperatores negativi?*

2° *An paterfamilias uxoris et filiorum damna resarcire debeat, etiam ante judicis sententiam?*

3° *An dominus, vel magister, reparare debeat damna a subditis illata?*

4° *Quid de BALDO et SABELLO?*

SOLUTIO :

681. *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* Cooperatores *negativi*, seu ii qui obligantur ex officio impedire damnum proximi, et ex culpa gravi non impediunt, ad restitutionem tenentur; quia ex munere, ideoque ex contractu implicito, et proinde ex justitia, invigilare et damna impedire debent.

*R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Dist.* Paterfamilias damna subditorum reparare debet ex justitia, si ex silentio graviter culpabili animum vel audaciam eis addiderit, quia tunc fit vere cooperator *positivus*. Non tenetur vero ante judicis sententiam, quoties a culpa theologica immunis est, ut sequitur ex principiis, v. g. si ante factum prorsus ignoraverit hæc damna faciendæ esse. Imo, *probabilius* etiam a restitutione erit excusandus paterfamilias *in foro interno*, si nullatenus in damnum influxit, v. g. si filii, vel uxor, in damnificando putarunt eum rei esse inscium, licet silentio graviter peccaverit, filios a peccato non impediendo. Ratio est, quia qualitas *patris* per se non sufficit ut quis constituatur quasi sponsor de damnis subditorum, nisi ex speciali officio publico ea impedire debeat.

682. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Idem prorsus dicendum est de domino erga famulos, et de magistro erga discipulos, ac de patre familias, et etiam de omni Superiore non publice constituto ad damna inferiorum propulsanda.

*R. ad 4<sup>m</sup> Quærs.* 1° BALDUS non tenetur ante sententiam resarcire damna subditorum, etiamsi aliquando gravis culpæ reus evaserit. Modus tamen denegandi restitutionem CAPRASIO, immitior cuique merito videbitur.

2° SABELLUS in nullo casu, ad damni reparationem, pro TITYRO erga HILARIUM, tenetur ante judicis sententiam. Imo, pro damno in ultimo casu facto, ne per sententiam quidem damnari potest, neque TITYRUS, neque SABELLUS, ejus dominus, quia pastor omnimoda libertate caruit. *V. Comp. n. 690 et seq.*

## CASUS XII.

## COOPERATIO NEGATIVA 2°.

1° SABINUS, famulus, videns extraneos, et aliquando conservos ipsos, imo et filiosfamilias, res varias domini subripere, non obstat, nec id hero denuntiat, sive ex incuria, sive etiam ex timore, ne horum animadversionem in se concitet.